



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventuræ Episcopi Cardinalis Albanensis,  
Seraph. Doctoris Ecclesiæ, Speculum Disciplinæ, Et  
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>  
Bonaventura <Heiliger>**

**Antverpiæ, 1591**

De acedia. Cap. XXXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)



194 S. BONAVENTURAE  
me & super omnes ipse Dominus noster Iesus  
Christus. Et si ipse tanta passus est pro nobis,  
non est indignum si nos aliqua toleramus pro  
ipso, & pro magna gloria nostra, & pro merito  
peccatorum nostrorum, pro quibus vtilius hic  
modica pati debemus, quam in futuro pluri-  
ma & acerbiora. Hæc & his similia prudenter  
& sæpe cogitando, impetum iracundiæ & im-  
patientiæ facilius superamus.

*De acedia.*

CAP. XXXII.

**A**CEDIAE vitium tres habet species.  
Prima est quædam amaritudo mentis,  
qua nihil lætum vel salubre libet, tædio pasci-  
tur, fastidit hominum consortium. Hæc est  
quam Apostolus seculi tristitiam appellat, quæ  
mortem operatur, prociuis in desperationem  
& diffidentiam, proua ad suspiciones: quæ pa-  
tientem aliquando instigat ad necem sui ipsius,  
luctu irrationabili oppressa. Hæc aliquando  
nascitur ex præcedenti impatientia, aliquan-  
do ex retardato & impedito desiderio cupitæ  
rei, aliquando ex prædominâtibz melanco-  
licis humoribus: & tunc medicorum est adhi-  
bere remedium potius quam religiosorum vel  
Theologorum. Secunda est tepor quidam pi-  
gredinis qui somnum amat, & omnia com-  
moda corporis: horret labores, fugit aspera  
quæque, vitat operationem, otio delectatur.  
Hæc est propriè pigrizia. Tertia est quæ solum  
fastidit ea quæ Dei sunt: & ad omnia alia agi-  
lis est & alacris. Oratio est ei insipida & à lau-  
dibus Dei se absentat, vbi cautè potest & au-  
det, festinat implere velociter orationes debi-  
tas: & ne nimis afficiatur tædio earum, assumit  
interim alias cogitationes vel occupationes  
quæ

2. Cor. 7, 10

Primo



quibus intendat donec perficiat horas vel orationes consuetas: rumoribus pascitur, ludis delectatur, excogitat negotia quibus occupetur. Nihil magis est ei onerosum quam Deo intendere, & his quæ spectant ad studium & profectum spiritualem. Cella ei carcer est, euagari autem tam corpore quam mente extra claustrum diligit, & quarit multifarias occasiones. Omnis rigor disciplinæ spiritualis grauis est ei, & murmurat & conqueritur de duritia prelatorum & disciplina zelantium. Hoc acediæ *Nota* vitium, signum est ingratitude: quia tanta beneficia contulit nobis Dominus & confert quotidie, quòd fidelem seruum eius deceret nunquam ab eius laude cessare, nunquam eius obsequium fastidire. Item spoliat nos multis *1. Cor. 13. 3* meritis & præmiis in celo. Tantam enim gloriam omni hora negligimus, quanta bona interim facere possemus, si otiosè eam transigimus: & nulla vel modica hora præterit quæ *1. Cor. 13. 3* nõ mereamur vel demereamur. Cùm in multis offendimus Deum, conueniens est vt tempus quod adhuc restat nobis ad viuendum, tanto melius expendamus, & redimamus tempus quod malè amisimus. *Ephes 5. 16*

*De remediis acediæ.*

CAP. XXXIII.

**R**EMEDIA acediæ. Primum & efficacius, cogere se ad ea spiritualia studia quæ maximè fastidit homo, & præcipuè ad orationem & celebrationem diuinorum, tam diu quousque per Dei gratiam vertatur nobis in obligationem. Si autem differatur talis gratia, nihilominus de labore luctaminis meritum accrescit & virtus roboratur, & per consuetudinem magis ac magis tædium minuitur. Deus enim